

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1278

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

795

## I C O D I C I E S

796

Quattuor Evangelistæ significantur: Matthæus facientur, hominis: Lucas vituli: Marcus leonis: Joannes aquilæ.

Leo surgendo. — Lege in legem, vetus in novum. Cur quattuor Evangelistæ non per. Nati sunt. Matthæus mel,

Ex his colligent Lectores, quanta errorum silva in Operc ipso caedenda superfit.

Praetensa est antice Codici Membrana Fragmentum continens Expositionis in C. XIX. *Evangeli Johannis Seculo IX.* eleganter exaratae, quæ est *Augustini Tract. CXVI—XVII.* prout extat Edit. *Maur. T. III. P. 2.* Postice vero comparent Fragmina *Hymnorum* eccl. partim etiam superimpositis accentibus musicis paullo recentiora.

CCCLX.

U. 273

Codex membraneus lat. Sec. XIV. et XIII. Folior. 123. f. bene perscriptus, rubricis distinctus, et quondam J. Alex. Brassicanus, ut manus ejus non uno loco prodit, a quo ad Joh. Fabrum Ep. nostrum cum aliis devenit, com-

Quatuor euangelistæ quid significant? Matthæus faciem hominis, qui dixit: *Liber generationis ihesu christi.* Marcus faciem leonis rugientis, qui dixit: *Uox clamantis in deserto.* Lucas faciem vituli, qui dixit parabolam de uitulo saginato. Johannes aquile, qui dixit: *Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo.*

Leo resurgendo.

Lex in lege, vetus in noua.

Cur quatuor euangelia non per.

Nati sunt. Matthæus arat. Marcus seminat. Lucas irrigat. Johannes incrementum dat. Matthæus mel.

pletebitur I. ut ex ult. pag. adcerso, *Cassianum de institutione sanctorum patrum*, id est, *Johannis* hujus, qui non ante an. 432. vivis exemptus est, *Libros XII. de Institutis Renuntiantium*, seu *Coenobiorum Aegypti*, quæ ipse paene per decennium lustravit. Epistola in Edit. Opp. Joh. Cassiani ab Alardo Gazaeo curata, et inde ab anno 1615. saepius recusa, cuius mihi Exemplum titulum *Lipsiae apud Wetstenios & Smith 1733. f.* e-mentitum objacet, *Castoris Aptensis* Ep. ad ipsum *Cassianum* praefixa abest a Codice, qui statim ab Autoris Praef. orditur: *Uetus narrat historiam sapientissimum salomonem post acceptam diuinitus sapientiam &c.* ubi Edita: *Veteris instrumenti narrat historia &c.* Quemvis Librum praecedunt Capitum Summaria eadem paene, qua in Editis, phrasit; *Capita vero ipsa*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1278

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

797

## P A T R I S T I C I .

798

ipsa per decursum non nisi Litera miniata majuscula se produnt, neque semper Editorum tenorem sequuntur. Ast quod Codicem omnibus Editis potiorem facit, *Caput est Geminum Libro I.* finem imponens, *avendotor*, cuius in lucem proferendi facultatem mihi gratulator. *Liber dictus in Editis terminatur Capite X.* En igitur

**Caput XI.** *Hec dicta sint, nec quid pretermissee de egyptiorum habitu uideamur. Ceterum a nobis tenenda sunt illa tantummodo, que uel locorum situs uel prouintiæ usus admittit. Nam neque caligis nos (in occiduis, ut in Praef. dixerat, Galliarum partibus, Massiliae nempe degentes) neque colobiis. seu una tunica esse contentos biemis permittit asperitas. et paruissimi (etiam apud Varr. et Lucret.) cuculli uelamen. uel melotis gestatio derisum potius quam edificationem ullam uidentibus comparabit. Quapropter illa tantum que superius commemorauimus queque sunt et humilitati professionis nostre et qualitati aerum (dixerat in Praef. pro asperitate aerum) congruentia. a nobis quoque affectanda censemus. ut omnis summa nostri uestitus non in nouitate habitus qui possit offendiculum hominibus buius seculi inferre. sed honesta in uilitate constitat.*

**Caput XII.** *His itaque uestimentis Christi miles induitus nouerit prius ob id se cinguli constrictione munitum. ut ad cunctos usus et opera monasterii non solum mente promptus. sed et ipso habitu semper expeditus incedat. Tanto*

*namque feruentior circa spiritalem profectum ac diuinarum rerum scientiam cordis puritate probabitur. quanto fuerit erga obedientiæ studium operisue deuotior. Secundo cognoscat etiam in ipso habitu cinguli inesse non paruum quod a se expetitur sacramentum. Accinctio enim lumborum et ambitus pellis mortue significat eum mortificationem circumferre membrorum. in quibus libidinis atque luxuriæ seminaria continentur. et iuxta euangelicum illud mandatum quo dicitur. fint lumbi uestri precincti. apostolica interpretatione ingeri sibi semper intelligens. Mortificate scilicet membra uestra que sunt super terram. fornicationem. immundiciam. libidinem. concupiscentiam malam. Ideoque illos tantummodo legimus in scripturis sanctis cingulo fuisse precinctos. in quibus seminaria coitus inueniuntur extinta. quique illud beati dauid eloquium opere a uirtute decantant. quia factus sum sicut uter in pruina. eo quod eras medullitus carne uitiorum emortuam exterioris hominis cutem spiritus uirtute distendant. Et idcirco in pruina significanter adiecit. quod scilicet nequaquam fuerint sola cordis mortificatione contenti. uerum etiam exterioris hominis motus. et ipsius naturæ incentiuia continentia pruina extrinsecus accidente habuerint congelata. nullum iam dumtaxat secundum apostolum regnum peccati in suo mortali corpore sustinentes. nec gestantes carnem spiritui repugnantem.*

*Habes, quae Hopperum, Cuykium, Ciacconium, Gazaeum fuderunt,*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1278

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

799

## C O D I C E S

800

gerunt, qui suspicari saltem debuissent, extrema *Libro I.* deesse; cum enim is illis in *Calceamenta* desineret, incipiebat *Liber II.* *Duplici igitur hoc, quod diximus,*

## Codex

*non multo auri metallo  
coenobiorum ex parte orientalium  
&c.  
in sola experientia usque  
cito retrorsum — dilabuntur  
vita notables  
in veritate sipientibus  
Nequaquam enim credas*

II. fol. 59. p. 2. habetur manu possessoris Brassicanus: *D. Salonij Episcopi Viennensis* (potius *Genevensis* circa a. 567.) *Interpretatio in Parabolas Salomonis.* Item in *Ecclesiasten.* Geminum hoc Opusculum conscriptum dialogo inter Fratres Salonium et Veranium S. Euclerii Lugd. Filios extat in *Orthodoxographis* et PP. *Bibliothecis*, nominatum *Lugd. T. VIII.* p. 401. Ast unde? Ex Edit. *Haganuae curata a. 1532. a J. Alex. Brassicano, 4.* et dicata *Guil. Fingulo Coenobii O. Cist. ad S. Crucem in Austria Abbati.* Unde vero isthaec Editio? E nostro nempe Codice. Docet id Collatio, quae tamen etiam docet, non acutissime vidisse Librarium, dum ἀπογεαφοι conficeret. Ut enim vel ad principium utriusque *Dialogi* animadvertis, in priore, ubi Codex legit *altius et spiritualiter*, transcripsit *alter et spiritualiter*, et in altero, ubi bis rite habetur *Cobe-*

*cingulo &c.* Itaque plana nunc sunt omnia. Ceterum lectio etiam Codicis nostri valde exacta est, utque non desit specimen, collationem *Praefationis* expende.

## Editio

*non multo auri metallo  
coenobiorum expertise orientalium  
&c.  
in sola experientia usque  
cito rursum — dilabuntur  
vita nobiles  
veritatem sipientibus  
Nequaquam credens.*

*Ieth*, illud deformavit in *Cobelecht*, PP. *Bibliotheca* errorem temperante in *Cobelech*, qua sane ratione Codices mss. non, quod potius oporteret, emendantur, sed corruimpuntur. Ceterum prior Dialogus a prima manu inscriptus *Glosae Parabolae* incipit: *Parabole qua lingua dicuntur?* *Greca &c.* Alter *De Nominibus Salemonis.* Quot nominibus uocatus est salemon? *Tribus &c.* De Autore *Salonio* vide, si libet, *Hist. lit. de la France* T. II. p. 433. Codicem ab interitu vindicatum in *Praef.* sua testatur *Brassicanus*; quas vero querelas adjungit, non suo solum Seculo scriptas esse putates.

III. fol. 75. manu, ut videtur, Sec. XIII. et per 2. columnas Sermo ἀνεπιργαφος ad Sacerdotes de curandis animorum vitiis in illud *Jer. L. 8. Subito cecidit Babylon et contrita est &c.* Initium: *Ad nos sacerdotes dei summi anima-*  
*rum*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1278

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

801

## P A T R I S T I C I .

802

*rum medici per ieremiam prophe-tam pater misericordiarum sermo-nem dirigit. uobisque infelicis ani-me curam committit. que pro suo excessu nimio et confusione baby-lon uocari meruit &c. De Homi-nibus ad peccatorum confessionem perducendis potissimum res est, totaque tractatio minutis divisiunculis in tria, quatuor &c. scatet, ut adeo praedicto Seculo vix su-peiorem credam.*

IV. fol. 78. manu Sec. XIV. Commentarius, quem possessor *Brassicanus* inscripsit: *Interpre-tatio in Apocalypsin*. Una de multis, cuius Autorem edicere nequeo. Cursoria est, atque Praefamen ita orditur: *Ioannes apostolus ob in-superabilem evangeliandi constan-tiam a domiciano in pathmos insu-lam ad secunda marmora exilio re-legatus derelictus ab homine uisita-tur (a) deo. Que pathmos inter-pretatur fretum &c. Nescio, unde marmora Noster; de Metallis meminit in suo Comment. *Vito-rinus Petavion*. Expositio ipsa sic ingreditur: *Apokalipsis sicut dixi-mus ibesu christi. quam apokalipsis dedit illi. i. filio dominus pater. in hoc dedit illi quia ad nos misit il-lum palam facere. i. ut ostenderet aperte seruis. non quibuslibet sed suis &c. In fine C. XIII. de nume-ro Bestiae nihil hariolatur calculis Autor, finitque: quoniam hec apo-kalipsis in qua agitur de pacientia est ibesu christi mibi manifestata. Adscriptum majusculis literis Ger-drut paene suspicionem ingerit, Virginem quandam monasticam fu-is librarium. Quid si Antistes illa**

*Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

*Saxo Mechtildis foror foret, quae inter Beatos colitur?*

## CCCLXI.

Codex partim membraneus, R. 2285 partim chartaceus, Sec. XIV. Fo-lior. 148. f. max. per duas col-lumnas pulcre scriptus, coloribus illustratus, et prius *Monasterij san̄de dorothée vienne*, praemisso *Capitulorum* Indice hanc Rubri-cam praefert: *Incipit probemium Johannis cassiani beremite in se-ptem posteriores collationes Sanctorum patrum. Johannem nostrum XXIV. Collationes suas in III. Or-dines distribuisse, quorum I. de-cem priores, II. septem posterio-res, III. totidem postremas con-tineret, norunt ejus Lectores. Se-ptem medias Codex hic primum exhibet, quae in edit. Alardi Ga-zaei Paris. 1642. a p. 519. f. de-currunt. Initium Prooemii, ut ibi, omisis tamen Honorati et Euche-rii nominibus praeviis, quae ta-men in contextu leguntur: Cum virtutem perfectionis uestre, qua uelut magna &c.*

II. fol. 50. *Incipit probemium in 7. Collationes sequentes; id est postremas. Ita nempe: Omisis (E-misis, al. Emenis) iuuante gra-tia christi decem collationibus &c. Integra omnia. Capitum, quorum Index singulas Collationes ante-cedit, aliquoties alia divisio, quam in Edit. cit. cuius errores typographici saepius e Codice nostro emendari possunt; ita probe ple-rumque scriptus est. Ad calcem Editis haec adjicit Gazaeo non*

*Eee*

*memo-*